

1190.

1297 d. 10 Mars.

Åby.

RÖRIK BIRGERSSONS Bref på jord i Kufvasta till Konungens Fogate Christian i pant för 2 mark penningar.

A. 6. a. 2. 33.

Vniuersis christi fidelibus presens scriptum inspecturis RØRICUS BYRGERI quondam filius salutem in ihesu christo benedicto Tenore presencium notum facio vniuersis quod exposui Cristiarno domini regis aduocato XIII:cim solidos terre & tres denarios terre in chuuastum in parochia yrstum pro triginta duabus marcis denariorum in festo sancti Olauï redimendos, Et si termino prefixo predicta terra redempta non fuerit, Cristiarnus aduocatus memoratam terram habeat & in eternum possideat In huius facti euidenciam et testimonium sigillum meum & sigilla domini schula mercatoris de westraaros & bertholdi quondam aduocati tauestie presentibus sunt appensa. Actum in aby anno domini M° CC° Nonagesimo VII° in secunda dominica quadragesime.

Sigillen: 1. bortfallet, remsan qvar; 2, 3 skadade.

1191.

1297 den 27 Mars.

Stockholm.

Stockholms Stads Magistrats Fastebref på byte af gårdar mellan Ragnhif och St. Claræ Kloster.

A. 3. f. 2: 3.

Omnibus presentes litteras inspecturis, Saxo aduocatus, ac communitas ciuium de stokholm. Salutem in domino sempiternam. Quia geste rei noticia cum lapsu temporis, ab hominum memoria cicius labitur, nisi scripture testimonio, veritas ad posteros transmittatur, idcirco nos harum tenore litterarum tam ad presencium quam futurorum volumus deduci noticiam quod Ranghelf socrus asmundi fabri, ex parte vna & haquinus dictus galli procurator monasterij sancte clare ex parte altera, jure ciuili ac legum terre, quandam permutacionem fecerunt in nostra presenciam in hunc modum. Dictus namque haquinus tradidit eidem ranghelf & heredibus suis in possessionem curiam monasterij in norræalm, valentem decem marchas, tali tamen addita condicione, quod quicumque curiam ipsam inhabitauerint pro tempore census ex eadem soluere teneantur monasterio prout de alijs areis ibidem exhibetur, Receptit autem a matrona eadem pro curia ipsa, duos solidos terre cum dimidio in parochia marchem, villa vibý cum omnibus, eisdem, in agris, pratis, siluis, aquis, pascuis, sev quibuscumque alijs attinentibus, a monasterio perpetuo possidendos. Predictus insuper haquinus, emit a matrona ipsa dimidiam horam terre, in eadem uilla pro sex marcis den., monasterio in pos-

sessionem, sub omnibus condicionibus supradictis. datis sibi supra precium quatuor marcis den. racione fauoris sev doni, quod vild uulgariter appellatur. Subscripti autem fuerunt býfaster & gardfaster in negocio supradicto, videlicet wlfho speghel subfectus, hænzæ fan hedhen, magister burgensis, bothwidus gyuridis, Nicholaus gener monetarij, sildæsuen, Rykulphus, olauus bunkefoth, Jan hwiti, hænzæ swarti, vinimar, Thethmarus colloniensis & wibal kramæri. In cuius eciam rei euidentiam, sigilla nostra presentibus sunt appensa. Actum stokholm anno domini. M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XC<sup>o</sup>.VII<sup>o</sup>. Sexto kal. aprilis.

Sigillen: 1 obetydligt skadadt; 2 blott hälften kvar.

1192.

1297 d. 4 April.

Wreta.

SUNE SIKS Stadfästelsebref på dess svärmoders Arguns gåfva af en jord i Bryigstat till Wreta Kloster, med förbehåll af lösningsrätt mot 24 mark i gångbart mynt, för sig och sin hustrus arfvingar.

A. 8. c. 4.

Vniuersis presentes litteras visuris vel auditoris SUNO dictus SIK Salutem in domino sempiternam Notum facio per presentes me in presencia øgeri drabbæ et fratris Nicholai monachi de aluastro ac aliorum discretorum placitasse cum reuerenda ac religiosa domina katerina abbatissa de wreta ac firmiter condixisse quod predium Bryigstat videlicet tres partes octonarii quod contulit argun pro anima sua mater vxoris mee claustro wretensi supradicto monasterio perpetuo attinebit, ista tamen condicione interposita quod predictum predium potest per me vel heredes vxoris mee, XXIII, marcis currentis monete redimi quando cunque nobis placuerit esse redimendum in cuius rei testimonium sigillum meum vna cum sigillis supradictorum øgeri fratris Nicolai duxi presentibus apponenda Datum wretis anno domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XC<sup>o</sup>.VII<sup>o</sup> in die sancti ambrosii episcopi et confessoris.

Sigillen skadade, fästade på 3 ur brefvet klippta remsor.

1193.

1297 d. 7 Apr.

Bengt Peterssons intyg, att han å sin hustrus och dess sons vägnar försålt delar af gårdarne Hohult, Botilahult och Miglahult i Wärend för 21 mark, vid hvilkas erläggande köpebref skall erhållas.

J. 6. 240.

Vniuersis Præsens Scriptum visuris vel auditoris. Benedictus Pæthersum, in virginis filio benedicto Salutem. Nouerint vniuersi, me Benedictum